

Magnam genas vix fert, dignitas faciebat. ut splendidissimæ arci non parum gloriæ per hortos non ignobiliores conciliaret, de quo quidem etiamnum loquuntur illi, qui peregrinationi dediti amœnissima Palæstinæ loca peragrarunt, dum testantur, ostendi in terra sanctâ locum distinctis selectissimisque arborum speciebus malogranati, ficuum, vitium, palmitum, olearum, amygdalarum, & cupressorum maximè conspicuum: Fontesque monstrari dicunt, qui fuerint quondam regię piscinæ. Ursisse verò uxorem filiam Pharaonis, si destitisset Rex, aut minuisset laborem, ut instaret operi, eò videtur probabilius, quo liberius hortorum gloriæ indulgebant Ægyptii, si *Athenæo Deipnosoph. lib. 5. cap. 6. p. 196. Edit. Lugdun.* fides. An verò hortus ille in valle Hermon fuerit, contiguus illi, ubi Salvator cum Discipulis suis orabat, antequam acerbissimam passionem sustineret, ut exinde locus iste *Gen. 14. 17.* quod quidem *Lorinus* Iesuita conjicit, *Vallis Regis, Juxta LXX. πεδίου, & juxta Chaldæū Paraphrastem Vallis plana & locus refrigerii Regis* appellatus fuerit, in suspenso relinquimus, nos enim meliori usi Præceptore melius sapere didicimus. *Vid. B. Gerhardus Comment. in Genes. cap. 14. 17.*

§ XI.

Inter umbras, & rudes cœlestis illius amœnitatis æmulatio- nes referimus quoque ex sacris eos hortos, quos ante excidium felicissima Sodomitarum terra alebat. Erat enim illa ὡς παράδεισος Ἰεῦ Sicut Paradisus DEI, *Gen. 13. v. 10.* post excidium verò quid reliquum erat præter rogam & cinerem? nihil. *Vid. Joseph. lib. 1. Antiq. c. 11. & lib. 5. de Bello jud. c. 5. Corn. Tacit. lib. 5. Hist. c. 7. v. 1.* Quin & Deus in his finibus seræ posteritati superesse voluit gravissimæ iræ reliquias, poma, quæ interiorum favillam mendaci superficie maturitatis includunt. *cons. Brocard. Monach. in Descript. terre sanctæ f. 243.* Nec prætereundus hic loci Balsami hortus videtur, quo nomine ob amœnissima loca, & quod uni terrarum Judææ, *Plinio teste H. N. 12. 25.* balsamū concessū esset, Palæstina indigitabatur. *Straboni βαλσάμης παραδεισος dicitur,*